Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 1017
Quelle:
Copyright:

ro in *Waddingi Bibl. Ord.* nihil in vita *Johannis* XXII. apud *Ciaconium*, eiusque *Additores*, nihil praeter nudum nomen et annum 1333. apud *Ughellium* in *Italia sacra*, Catalogoque Epp. *Sarnensium Salernitani* Suffraganeorum. Solus *Baluzius* in *Not. ad Vitas Papar. Avenion. col.* 735. et ex eo *Oudinus T. III. col.* 880. Viri meminere, Tractatum ab eo *de Potestate Ecclesiae* scriptum circa an. 1327. e *Cod.* 506. *Biblioth. Colbert.* indicantes. Huic igitur Florilegium nostrum adde. Praefert illud Elenchum Personarum, ad quas datae sunt Epistolae et harum principia ad sequentem modum:

1. *Roberto nepoti suo ab ordine cisterciensium ad cluniacenses absque licentia transeunti.* Satis et plusquam satis.
2. *Fulconi adolescenti.* Bone indolis adolescenti.
3. *Quibusdam monachis* (Canonicis). Exortatio illa. &c.

Usque ad Epistolam 124. decurrit aequaliter cum Edit. *Maur. Opp. Bern.* T. I. *Paris. 1690. col.* 127. f. Elenchus iste; deinceps vero declinat, habetque Epistolis 108. minus, quam Edita; interim gratum certe fuisset Editoribus, si aliquam ejus habuissent notitiam, cum propter ordinem, tum etiam propter inscriptiones Epistolarum et vel ipsum Textum. Elenchum excipiunt Monita *tria* de usu ipsius Florilegii hoc initio: *Ad euidentiam tabule infrascripte super epistolas beati Bernardi notandum primo, quod harum epistolarum quedam sunt breues ut medij folij, uel unius integri seu minoris spatij, et iste non diuiduntur. quedam uero sunt prolixe, et iste secundum prolixitatem maiorem uel minorem diuiduntur in plures et pauciores partes, que partes ordinate significantur per literas alfabeti positas ordinate, ut prima pars* p. a. *2ª pars* p. b. *et sic de aliis. Vnde numerus quotat epistolam, litera uero partem* &c. Tandem a verbo *Abbas* incipit ipsum Opus ita: *Abbatis sententie debet stari secundum regulam monachorum.* 314. &c. Sequitur *Abissus. Abstinentia. Abutentes. Abuti. Acchademicorum. Actus* &c. Ultimum est: *Zelus loquendi pro innocente contra prauos calumpniantes.* 233. s. *Monachus insurgens.* a. Promtum hujus Florilegii usum non nisi eos habere, qui Codicem nacti fuerint, in quo Epistolae ordine nostro decurrant, vel me tacente quivis videt.

CCCCXXXVII.

Codex membraneus lat. Sec. partim XIII. partim XII. f. min. luculente magnam partem scriptus et rubricis distinctus, olim *J. Alex. Brassicani*, dein *Job. Fabri* Ep. *Vien.* ut anterior praefert Theca, complectitur: I. *Hildeberti* Ep. primum *Cenoman.* dein *Turonensis* Archiepiscopi circa an. 1134. defuncti *Epistolas* LXXVIIII. e C-XXIX. U. 232